

LAS SENTENCIAS  
DE LOS PADRES

CONTENIDOS EN ESTE TOMO VIII.

COMO SE HALLAN

EN LA LENGUA LATINA.

SENTENCIAS ESCOGIDAS.

DE SAN CIRILO.

*Correspondientes al Capítulo I. Artículo IV.*

I. Quare pias, quæso, cogitationes suscipias, studiosè sancteque vivas, & de benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit? Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus sumus peccatis considerat: sed ægrotos curat, collisos redintegrat: & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu. (*Comment. in Joan. lib. 4. c. 7.*)

II. Non enim quia credimus, rationem omnino contemnimus: sed conamur potius aliquam, ut in speculo, & enigma-

tice cognitionem habere. Optime autem fidem cognitioni præposuerunt. Præcedit namque fides, cognitio sequitur, juxta illud: *Si non credideritis, non intelligetis.* Nisi enim absque ulla dubitatione, fidei jeceris fundamenta, non poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est, superædificare, ac ita in virtutum spiritualem evadere. (*Ibidem, cap. 29.*)

III. *Qui quærit gloriam ejus, qui misit illum, hic verax est, & injustitia in illo non est.* Nam qui Dei gloriam non quærit, sed suam, is & mendax simul, & injustissimus est. Mendax quidem, quia simulatione legis servandæ suam voluntatem audiri proponit. Injustissimus vero, quia Legislatoris dignitate neglecta, dominicis præceptis sua præferre audeat. (*Ibid. c. 45.*)

IV. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vere namque dicere possumus, mortuos esse omnes mundo, qui voluptates mundi propter Deum contemnunt. (*Ibid. lib. 5. cap. 51.*)

V. Non est enim omnino idem cessatio ab aliqua re, ut peccato, atque abjectio. In cessatione namque à peccato, turbationes animi, quamvis ratione, quasi fræno sedantur, ut quamdam ad quietem reductæ, & exercitatione atque labore virtutis superatæ, non tamen penitus ab animo extirpantur. Abjectio vero turbationum majus quiddam est, ad quam pervenire non possumus, nisi prius ab actione peccandi cessaverimus, & inde gradum facientes, ad hoc majus facilius conscendamus. Sed cessatio quidem à delinquendo in nobis quoque esse videtur: desinemus enim à malo, si toto animo probitatem complectamur. Abjectio vero turbationis omnis, atque cessatio nullo pacto in nobis est: sed Christi, qui pro nobis passus est, ut omnes ad novam vitam reformaret, opus est proprium (*Ibid.*)

VI. Sanctæ crucis signo obsepiti credentes solent & communiri. Usi enim semper sumus hac re cum omnem diaboli insultum evertimus, & dæmonum impetus infringimus. Murus

enim infractus est nobis crux, & in ea est gloriatio; vere salutem afferens. Idcirco sapiens Paulus scribit: *Absit vero ut ego glorier nisi in cruce Christi.* (Comment. in Isai. p. 294. tom. 4. vide lib. 6. contr. Jul. p. 195.)

VII. Sanctos porro Martyres, neque Deos esse dicimus, neque divino cultu scilicet illos adorare solemus, sed affectus & honoris: quin potius summis honoribus illos ornamus, puta quod pro veritate strenue certaverint, sinceritatemque fidei eorumque servaverint, ut animam ipsam contempserint &c... quare nihil est absurdi: imo necesse erat eos, qui tam claris facinoribus excelluerunt, ornari perpetuis honoribus. (*Ibidem, lib. 6. contr. Jul. p. 203.*)

VIII. *Qui manducat me, inquit, & ille vivet.* Manducamus autem nos, non quod ipsam divinitatem consumamus (apage ab ista impietate): sed illam propriam verbi carnem jam vivificam effectam, quia ejus facta est, qui propter Patrem vivit... quemadmodum vero vivificum est illud ipsius verbi corpus, quod sibi proprium fecit per veram unionem, quæ & intelligentiam & sermonem superat; sic nos quoque, qui illius sanctæ carnis & sanguinis ejus participatione fruimur, omnino vivificamur; cum in nobis maneat verbum, non solum divino modo, per Sanctum Spiritum, verum etiam humano, per sanctam illam carnem, pretiosumque ejus sanguinem. (*Lib. 4. adv. Nestor. p. 110. tom. 6.*)

IX. Christus existens in nobis sopit savientem in nostris membris carnis legem, & pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, delicta in quibus sumus nobis non imputans, sed potius ut ægrotos sanans. (*Comment. in Joann. p. 365.*)

X. Quemadmodum enim si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera videbit: eodem quoque opinor modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, & bibit ejus pretiosum sanguinem, ut ipse ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodam modo, & immixtus ei per illam participatio-

nem, ita ut in Christo quidem ipso reperiat, & vicissim Christus in ipso. (*Ibid. p. 364. & 365.*)

XI. Admiratus itaque sum, an sint qui plene dubitent, num beata Virgo *Deipara* dicatur alicubi, aut non dicatur. Si namque Deus est Dominus noster Jesus Christus, quomodo Virgo, quæ illum peperit, *Deipara* non est? Hanc nobis fidem divini tradidere Discipuli. Et licet nullam fecerint dictionis hujus mentionis mentionem, ita tamen sentire à Sanctis Patribus edocti sumus. (*Epist. 1. tom. 2.*)

XII. Me non offendit ulla injuria vel contumelia, nec quamvis multa illa convicia, quibus me petunt quidam, de quibus tale nihil suspicabar, sed in oblivionem abeant hæc omnia. Judicabit autem eos Deus, qui talia nugati sunt: modo salva sint quæ fidem concernunt, & amicus ero dilectus... si vero fides destruat, à quopiam, nostras ipsorum animas non trademus? Et si patienda sit ipsa quoque mors, nulla erit hæsitatio. Si namque veritatem pro gloria Dei fateri non audebimus, ne in molestias aliquas incidamus, qua fronte Sanctorum Martyrum encomia coram populis celebrabimus, quos ob id laudamus, quod ad mortem usque pro veritate certamen sustinuerunt? (*Epist. 6.*)

XIII. Quæ dilectionis in Christum sit virtus, per divinam sumus edocti Scripturam. Nihilo tamen secius, & ipse nos Servator de eadem instruxit dicens: *Qui me diligit, me sequatur, & ubi ego sum, ibi sit & Minister meus.* Oportet enim nos illi semper adesse, semper diligere, ac sequi, omnium Servatorem Christum, nec ullo modo ab eo secedere. Et hoc servabimus, si quæ illius sunt quæsierimus. (*Homil. 3.*)

XIV. Si universi Servatoris nostri omnium Ministri sumus, & concreditum nobis est prædicationum ipsius ministerium, ob quam causam non omnes cum illo sumus, ut quæ illius sunt velimus? (*Ibid.*)

XV. Metuo mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum, quoniam ni-

hil habet coloris. Metuo tenebras, quoniam nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo genios iudicio præficiendos, quoniam sunt immisericordes. Metuo cum cogito illius diei terribile & muneribus inexpugnabile concilium, tribunal horribile, Judicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimamque flammam torrentem, & acutos enses. Metuo severissimas poenas. Metuo supplicium, finem non habens. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. Metuo inevitabiles probationes. Nihil enim accusatoribus eget Judex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus; sed quæcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium adfert ad oculos nocentum. Tum nullus est qui adsit, & poenis eripiat: non pater, non mater, non filius, non filia, non alius quisquam cognatorum, non vicinus, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non divitiarum abundantia, non potentia fastus: quin hæc omnia cineris ritu in pulverem abeunt, solusque reus ex suis factis, absolventem aut condemnantem sustinet sententiam. Heu mihi, heu mihi, quem conscientia redarguit, & scripta clamantia docent, oh animæ cui tot nefaria, foedaque patrata sunt facinora. Heu mihi, qui corporis templum corrumpi, & sancto tuo spiritui dolorem feci. Oh Deus, æquæ sunt opera tua, & justum iudicium, & rectæ viæ, & obscurissima consilia, propter brevem peccati fruitionem in æternum torqueor. Propter corporis voluptatem igni trador. Justum est Dei iudicium: vocabar, & non obremperabam: admonebar, & deridebam: legens & agnoscens, neque non credens; sed in negligentia, ignavia, securdia, variis occupationibus, turbis & procellis petulanter, & lascivia exultans, & voluptatibus atque lætitiæ indulgens, consumpsi meos annos, menses & dies in res breves, caducas & terrenas, laborem, studium atque operam impendens: neque in animum revocans, aut considerans, quantus animorum meritis, terror, certamen, æstus sit sustinendus, cum à corpore

separatur. (*Orac. de exitu animi, & de secund. advent.*)

XVI. Oh fratres, considerate quales nos esse oporteat, dum rationem singillatim reddemus eorum quæ fecerimus, sive magna sint, sive parva: nam etiam otiosorum verborum causam apud istum Judicem dicemus. Quales nos esse oportet illa hora? Quod si propitium habuerimus Deum, qualem percipiemus lætitiæ ad Regis dextram segregati! Quales nos esse decet ad illam inenarrabilem lætitiæ, cum dicet ille regnantium Rex eis, qui ad illius erunt dextram cum hilaritate: *Adeste felices Patris mei; possidete paratum vobis ab orbe condito Regnum.* Tunc invademus in illorum possessionem bonorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec hominis cor cogitatione comprehendit, quæ Deus sui amantibus præparavit. (*Ibid.*)

XXVII. Beatus autem qui hic seipsum despiciatur, deprimatque propter Deum, contemnitque, atque damnat; hic & à Deo supremo extollitur, & à geniis laudatur, neque in iudicio inter sinistros astabit. Beatus homo qui in supplicationibus perseverat: in jejuniis durat: in vigiliis laudat: somno reluctans, eumque arcens, & genua ad Dei prædicandas laudes flectens, pectus tundens, faciem feriens, manus in aerem efferens, aspectum in cælum attollens ad Dominum, cogitans illum, qui in solio gloriæ sedet, & corda scrutatur, & renes pervadit. Hic enim fruitur æternis bonis, filius & frater, & amicus, & hæres est Dei. (*Ibid.*)

XVIII. Qui murmurat, & moleste fert adversos casus, quique tædio rerum molestarum maledicta jactat, is errat, & animo surdus est. Qui mitis est & humanus modestusque, is à Deo laudatur, à geniis beatus prædicatur, & ab hominibus celebratur. Ille autem amarus, iracundus, & ad bilem propensus Deo detestabilis est, ejus & cibus racemus est amarulentiaæ demonum, & vinum fel draconum, & potio venenum aspidum irremediabile. Qui puro sunt corde, Dei gloriam videbunt. At qui mente sunt sordida, diabolum aspicient. Qui vitiosa faciunt

& prava cogitant, & mala aliis moliuntur, à divina Communionem seipsos prohibent. Qui sibi purpurisso vultus humectant, & cerussa genas illinunt, dealbantque, & ad speculum comantur, ut homines ad nequitiam, & pravas cupiditates, amoresque satanicos incitent, atque implicent, ii in die iudicii non pii reperientur, sed ut Dei præceptorum contemptores torquebuntur. (*Ibidem.*)

XIX. Respiciamus eos, qui cum maxime effrænata bestia, paupertate nimirum, luctantur... ita namque verum & purissimum jejunii genus Christo exhibemus. (*Homil. 5. de Fest. Pasch.*)

XX. In Paradiso omnis tristitiæ nostræ initium fuit: in horto vero, Christi quoque passio inchoatur. (*Homil. in Joan.*)

XXI. Miti ac benigno Sermone allocutus in terram prostravit, ut hinc disceremus, rerum creaturarum naturam ne unam quidem Dei vocem, eamque perhumanam ferre non posse. (*Serm. 5. in Joan.*)



## SENTENCIAS ESCOGIDAS

## DE TEODORETO.

## Correspondientes al Capítulo III. Artículo IV.

I. Puto divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliqua ratione, aut docendi, aut orandi, aut necessariae cujuscumque occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum nomen Dei lingua proferre, hoc arbitror divina lege prohiberi. (*Quest. 41. in Exod.*)

II. Quid significat illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & quæ sequuntur? Manifeste nos docuit Dominus, neminem posse duobus dominis servire. Et hoc igitur loco docemur dilectionem non partiri in Deum & aurum, in Deum & uxorem, in Deum & liberos, in Deum & amicos; sed totam dilectionis vim Creatori Deo consecrare. Deinde secundum Creatorem, quæ unicuique conveniant impartiri, & parentibus, & uxori, & liberis, & fratribus, & amicis. Si quidem pertinet ad dilectionem Dei, hæc etiam præstare. Qui enim diligit me, inquit, mandata mea servabit. Mandata vero Dei ista præcipiunt. (*Quest. 3. in Deut.*)

III. Et si pro pietate certantibus nullum propositum esset præmium, poterat ipsa per se veritas amatoribus suis persuadere, ut in subeundis pro illa periculis summam lætitiæ præ se ferrent. (*Epist. 21. ad Eusebium...*)

IV. Fertilitas, & sterilitas terræ, secunda navigatio, & naufragium à Divina pendent Providentia. Quare in iis, quæ ab ea fiunt, acquiescere omnes oportet, nec causas curiosius inquirere: incomprehensibilis enim est divinæ gubernationis ratio. (*Hæret. Fabul. lib. 5. cap. 10.*)

V. Medicabilia sunt etiam, quæ post Baptismum fiunt